Universitätsbibliothek Paderborn

# Tractatus Theologico-Moralis De Sacris Ecclesiasticorum Ministeriis, Hoc est, De Horis Canonicis, & Missæ Sacrificio

Biesmann, Caspar

Coloniæ Agrippinæ, Anno 1695.

Caput XVI. Exponuntur rariora quædam circa S. Euch. notatu digna.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42206

Visual Library

*Præposit. in 3. p. q. 80. art. 8. dub. 2. Tamb. ll. cc.* Denique si celebrans post Consecrationem deficiat. Tunc enim tenetur alius, etsi non jejunus, si jejunus non adsit, Sacrificium perficere. *Laym. l. c.*

Aut deniq; si celebrans post consecrationem deficiat.

# CAPUT XVI.

## *Exponuntur rariora quædam circa S. Euch. notatu digna.*

AD horum omnium ulteriorem elucidationem ex supra notatis authoribus observ. Primò, quamvis non semel evenisse existimandum sit, non esse verè consecratam hostiam, quæ pro tali habebatur v. g. dum sacrificat is, qui non est Sacerdos ob defectum Baptismi; aut quando loco vini per errorem aqua infunditur Calici; non est tamen necesse, aut consultum, ut ad evitandam materialem idololatriam assuescas dicere: Adoro hanc hostiam, si est consecrata: adoro hoc, quod est in Calice, si est verè Sanguis Christi; quia quæ raro eveniunt in agendis negotiis, non temerè computantur, id est, eorum nulla consideratio regu-

Recténe ad evitandam idololatriã materialem assuesces dicere: Adoro hanc Hostiam, si est consecrata.

regulariter habetur. Est autem uterque hic casus & error rarissimus, adeóque nullius considerationis. Vid. *Vasq. Tom. 1. in 3. part. disp. 110. cap. 5. Bress.* &c. Dein vix unquam in simili adoratione admittitur idololatria materialis; non interna; quia tota intentio adorantis fertur in verum Christum, non autem in panem & vinum: non exterior, quia externa adoratio regitur ab interna, quæ tendit in id solum, in quod interna. Secundò, in distributione sacræ Communionis, si fortè contingat hostiam in linteum communicantium labi, reverenter elevetur; & si plures sint communicantes, ut vitetur confusio, notetur locus à sacra Hostia tactus, ut postea abluatur, & aqua in Sacrarium mittatur. Si verò ceciderit in terram similiter elevetur, & locus in quem incidit, strophiolo tegatur; ut postea abradatur & lavetur. Vid. *Fagund. præc. 1. lib. 3. cap. 20. Suar. Tann.* &c. Quod si in pileum, collare, aut vestem communicantis ceciderit; probabile est hæc non esse lavanda, ob notabilem communicantis perturbationem, & molestiam, si hujusmodi lotio pete-

Quid faciendum, si in distributione sacræ Comunionis Hostia labatur in linteum communicantium.

Aut si in pileum, collare aut vestem communicantis.

peteretur. *Tamb. l. 2. c. 8. § 8.* &c. Imò ſi Sacerdos ſolus videat parvum fragmentum decidere in veſtem, aut barbam communicantis, & prudenter prævideat futuram notabilem communicantis turbationem, vel adſtantium offenſionem, (quod certò regulariter & communiter adeſſe ſolet) ſi ejuſmodi fragmentum inquireretur, nihil dicat aut agat ulteriùs, ſed totum commendans Deo, progrediatur in ſuo Miniſterio. Quod etiam valet, ſi particula decidens, humanâ induſtriâ reperiri non poſſe videatur: plus enim non exigit in ſimilibus caſibus reverentia, & ſacer cultus; quam ut fiat, quod per humanam induſtriam à Sacerdote fieri poteſt. Quod ſi Sacerdos modeſtè & ſine turbatione communicantis ſimile fragmentum attollere poſſet, id utique faciet. Dixi ſi ſolus Sacerdos videat cecidiſſe hujuſmodi fragmentum. Nam ſi ipſe quoque communicans advertiſſet talem particulam in veſtem, aut etiam per collum in interiorem tunicam mulieris v. g. cecidiſſe, videat mulier, an inveniri fragmentum, & extractis à ſe veſtibus,

Quid ſi per collum in interiorem tunicam mulieris ceciderit.

ac foras modestè exporrectis à Sacerdote levari possit; sin minùs, ipsa mulier suâ manu reverenter levatam, immittat in Ciborium, ac digitos lavet projecta in sacrarium lotione; neutrum si fieri possit, Deo commendetur. *Tamb. de Sacrificio cap. 8. §. 8 lib. 2.*

Quis modus purificandi ciborium.

Tertiò, modus purificandi Ciboriũ hic ferè esse solet. Colligat Sacerdos, antequam sumat sacrum Sanguinem, indice dextræ manus, in fundũ Ciborii omnes reliquias, easq; sic collectas digito promoveat, & Calici vel ãte, vel certè post sumptionem sacri Sanguinis immittat, tum Ciborium vino purificet, illúdque vinum in Calicem missum sumat pro prima ablutione, & si fortè opus sit, secundam & tertiam ablutionem Ciborii adhibeat, eámque proprio Calici infusam sumat; Ita enim decentiùs & convenientiùs sumetur. Denique digitis more consueto ablutis, Ciborium, unà cum proprio Calice, purificatorio extergat, sitque memor se non teneri neque hic neque in similibus casibus ad metaphysicam diligentiam, sed sufficere moderatam, ac moralem. Valdè enim probabile

est,

est, quod plures Doctores asserunt, fragmenta, quæ fortè remanent, præsertim minutiora, quæ humanâ diligentiâ colligi non possunt, ab Angelis colligi. Proin non sit scrupulosè anxius circa ea, quæ fragmenti speciem in ciborio habere videntur, sed purificatorio extergat, existimans esse furfures, frustilla lini, aut simile quid, uti suprà dictum est, Vid. *Quarti. l. c. dub.* 7. *&* 8. *Lugo* &c. Quartò, Si contingat hostiam revomi, & nemo adsit, qui ob horrorem & nauseam illam sumere ausit, cautè à vomitu separetur, & in aliquo loco sacro ponatur, ac purgata vel sumatur, vel relinquatur in loco sacro donec corrumpatur: Exurere enim hujusmodi species, ut innuit *Sylv. V. Euch. q.* 9. §. 2. & alii cum eo communiter, foret sacrilegium. Fieri enim id nequit, nisi cum injuria ipsius Christi sub speciebus Eucharisticis contenti. Cæterùm dicti sacrilegii malitia ex ratione non satis apparet: Magis enim Sacramenti reverentiæ consuli videtur, si hæ species per purissimum elementum consumantur, quàm si relictæ, putrescendo corrumpantur.

Quid si cōtingat Hostiam evomi.

tur. Interim tenenda est jam dicta communis Doctorum sententia, nec ab ea ob præfatam rationem temerè recedendum, nisi fortè graves alii Authores contrarium probabile faciant. Quod si species in vomitu non appareant, ut prudenter judicentur jam esse corruptæ, comburatur vomitus, & cineres in sacrarium mittantur. Vid. *Tamb. de Sacrif. l. c.* Quintò, Si dubium oriatur, dum sumis sacrum Calicem, fuerítne verè vinum, an acetum; arbitraberis fuisse vinum, quia possidet substantia vini, & pro eo præsumendum est. *Tamb. in Meth comm. cap. 2. §. 8.* &c. Huc quoque pertinet, quod plures Sacerdotes turbare solet, nimirum quando dubitatur, utrum omiserit aliquid ad Missam pertinens, ideò, quia non recordatur se hoc dixisse, aut fecisse. Nam in tali dubio, imò quod ampliùs est, etsi judicet probabiliter se aliquid omisisse, aut etiam advertat aliquid omissum; ordinariè ex mente *D. Thomæ q. 83. art. 6. ad 5.* & aliorum nihil est repetendum; ne pulcherrimus Ordo Missæ tali repetitione, quæ frequenter scrupulosa esse solet,

In dubio fueritne vinum an acetum, quod consecrâsti, quid facies.

Quid si Sacerdos dubitet, se omisisse aliquid ad Missam perinens.

ſolet, turbetur: niſi fortè omiſerit aliquid, quod ſit de ſubſtantia Sacrificii v. g. aliquid pertinens ad Conſecrationem. Certum enim eſt, id debere repeti. Similiter quando ſecretò oras, & poſt pauca verba certò advertis, te aliquid notabile omiſiſſe, paululum regrediendum, & omiſſa repetenda erunt. Vid. *Tamb. de Sacr. lib. 2. cap. 5. §. 2.* Sextò, quamvis actualis devotio, id eſt exercitium quorundam actuum ſupernaturalium v. g. Fidei, Spei, Charitatis, &c. in communicante ſemper optanda, & pro viribus curanda ſit; hanc tamen actualem devotionẽ communicans ſi negligat, non videtur delinquere, cùm de ea nulla nobis conſtet obligatio. Cæterum à veniali ex communi omnium judicio non excuſabitur, qui voluntariè tempore Communionis diſtrahitur, nam talis moralem aliquam indecentiam, & culpabilem ruſticitatem admittit, dum non dignatur animum advertere ad tantum hoſpitem, tam benignè & dignanter ad ſe venientem. Quis enim neget irreverentiam eſſe, Chriſtum ab homine ſuſcipi omnia alia de induſtria cogitante.

Quid dicẽdum de eo, qui voluntariè tempore communionis diſtrahitur.

Dixi

Dixi de industria, neque enim involuntaria distractio vitio vertitur. Vid. *Gob. tr. 4. cas. 10.* Septimò, Sacerdos per errorem loco vini consecrati hauriens aquam, mox accepto vino, & sine ulla Cruce, affusâ modicâ aquâ, factâque oblatione (sufficit autem mentalis ut docet *Dicast. disp. 4. tr. 5. Laym. Suar.* & alii) omnibus aliis omissis incipiens ab illis verbis immediatè formam Calicis antecedentibus (simili modo postquam cœnatum est) proferat verba Consecrationis, omissâque elevatione, &c. sacrum Sanguinem sumat. Prædictus error non erit supplendus postquam rediisti ad Sacristiam, quia erit nova, & à priori omninò distincta actio. Vid. *Tamb. de Sacrif. lib. 2 cap. 8. §. 5. Suar. Koning* &c. Octavò, si sacer Sanguis cadat super linteum, tabulam, aut tapetem, sufficit si tabula lambatur linguâ, deindè radatur, & rasura combusta mittatur in piscinam, vel in terram sacram aut cœmeterium, ut docet *Henriq. lib. 9. cap. 36. Tann.* & alii conformiter Rubricis: linteum verò & tapes tribus vicibus laventur, non autem exscindatur, ut

Quid faciet Sacerdos per errorē loco vini consecrati sumens aquam.

Quid fiet sacro Sanguine super linteum, tabulam, aut tapetem effuso.

volunt

volunt nonnulli. Quod si gutta decideret in patenam, decentiùs illa digito canonico, quàm linguâ excipietur. Quæ autem de abrasione comburenda aut lotione facienda hîc dicta sunt, debent eo sensu accipi, ut hæc fiant, quando rasura, linteum, &c. ita exsiccata sunt, ut non perseverent species vini, nec ibi sit amplius Sanguis Christi, ut rectè notat *Quarti p. 3. tit. 10. n. 12.* Vid. *Rubric. tit. de defect. in ministerio ipso occurrentibus, n. 17.* Cæterùm quando sumitur à Sacerdote sacer Sanguis, est probabile, sufficere si Calix semel ori admoveatur; Quamvis *Durandus* secundum communiorem praxin velit ter admoveri, ut tanto perfectiùs & pleniùs omnes species sacri Sanguinis hauriantur. Vid. *Gav. p. 2. tit. 10.* Interim cave, ne nimius sis in exhauriendo sacro Calice, nam postquam eum semel vino purificâsti, (quæ purificatio sub veniali in vino necessariò facienda est. Vid. *Tamb. l. 3. de Sacrif. cap. 9. Sanch. Azor &c.*) ac deinde digitorum ablutionem sumpsisti, Calice bis inverso suprà purificatorium, ad totam ablutionem tantò perfe-

Quis modus sumendi sacrum Sanguinem; & post sumptionem Calicē purificandi.

ctiùs sumendam, mox illum purificatorio exterges; tametsi liquidi aliquid superesse videatur. Vix enim ita evacuabis, quin non aliquid remaneat, quod decentiùs purificatorio excipitur; quàm ut magnâ Sacerdotum & circumstantium molestiâ elambatur. Ad hoc enim est purificatorium; ut reliquias ablutionis, si quæ fortè adhærerent, abstergat; vel etiam guttam aliquam, fortè ex ablutione decidentem (de quo, non est, quod angaris, si casu fiat) decenter excipiat. Adde quod sufficiat in his omnibus, ut suprà dictum de colligendis particulis, moderata & moraliter possibilis diligentia, qualem præscribunt Rubricæ & à piis ac timoratis Sacerdotibus adhiberi solet. Quod si eodem die pluries esses celebraturus v.g. festo Nativitatis, postquam vino supra Calicem, ex quo sacrum Sanguinem hauriebas, digitos abluisti, hanc purificationem mittes in proximè appositum Calicem, ut jejunus maneas, ac deinde os & Calicem purificatorio absterges, recitando simul solitas & præscriptas ab Ec-
clesia

clesia preces, quæ circa purificationem, & ablutionem digitorum dici solent. Ita enim ferè habet praxis communis Germaniæ nostræ, quamvis alii Calicem tamdiu velint relinqui intactum, donec species residuæ exsiccentur. Vid. *Gob. tr. 3. cas. 23. Lug.* &c.

Nonò, Sacerdos, qui sacram Eucharistiam ministrat absque omni jurisdictione, præter peccatum grave, propter violatam alterius jurisdictionem in re gravi, nullam pœnam ipso jure incurrit, nisi sit Religiosus. His enim excommunicatio reservata Pontifici ipso facto est imposita, si absque licentia speciali Parochorum, eorum subditis extremæ Unctionis vel Eucharistiæ Sacramentum ministrare aut Matrimoniis assistere præsumpserint. Vid. *Clement. 1. de Privil.* Ubi nomine licentiæ specialis non debet intelligi ejusmodi licentia, quâ persona ministrãs, vel cui dandum est Sacramentum, specialiter & expressè à Parocho designetur, sed sufficit licentia, quæ huic expressæ & speciali designationi æquivaleat, ut si Parochus concedat omnibus suis subditis facultatem à quocunque Sa-

Quid dicendum de Sacerdote & inprimis religioso, qui sine jurisdictione S. Euch. ministrat.

cerdote omnia Sacramenta ſuſcipiendi, aut certè non repugnet, ut à quovis alio Sacerdote ſuſcipiantur. Jam enim Religioſus Euchariſtiam miniſtrans cenſebitur eam miniſtrare ex licentia ſpeciali & expreſſa Parochi. Vid. *Dom. Reding. Tom. 6. q. 6. art. 1. Controverſ. 3. Pal. Gob.* &c. Excipe caſum extremæ neceſſitatis, in quo Religioſus licitè adminiſtrabit Euchariſtiam. Vid. *Fagund. præc. 3. l. 3. cap. 2.* Decimò, cùm gravis committatur irreverentia ab illis Sacerdotibus, qui ex culpabili negligentia ſacras ſpecies tamdiu in tabernaculo aſſervant, donec vel corrumpantur, vel à vermibus arrodantur; hinc Parochi, aliive Sacerdotes, ſingulis menſibus bis aut ſaltem ſemel poſt ſumptum ſacrum Sanguinem adhuc jejuni abſumant omnes hoſtias, quæ pro ægris in omnem eventum erant conſecratæ, ſicut & illam, quæ in Monſtrantia erat expoſita, & in eadem Miſſa conſecrando novas hoſtias renovet Sacramentum, ne deſint hoſtiæ pro infirmis, aut major hoſtia, pro communi devotione in Monſtrantia. Ubi ſimul obſerva neceſſitatem hujus mutationis

Quoties ſacræ ſpecies in tabernaculo aut Monſtrantia aſſervatæ ſint mutandæ, ne corrumpãtur, &c.

tionis pendere à loco, in quo sacræ Hostiæ asservantur; nam si is sit humidus, aut aliâ fortè ad putrefactionem qualitate affectus, majorem dabit ansam hujus renovationis, præsertim cùm in loco humido facilè nascantur vermes, qui sese ingerant in sacrum Ciborium. Non est autem, quod Sacerdos sit solicitus de sumptione plurium hostiarum, nam in tali casu ob reverentiam Sacramenti licitum est plures simul sumere. Imò si solus non posses eas absumere, potes alium Sacerdotem post te celebrantem rogare, ut ipse post sumptum Calicem aliquas absumere velit. Ita DD. comm.

* * *
* *
*